DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA INDIAE ORIENTALIS.

10

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA INDIAE ORIENTALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS M'DONELL,

Scotus,

LEGIONIS DECIMAE NONAE CHIRURGUS SECUNDUS.

Saepe enim nullis aut tolli aut sublivari potest remediis molestissimum morbi signum, nisi prius sublata fuerit ejus morbi causa.

GREG. CONSPECT. p. 315.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXIX.

JACOBO M'GRIGOR, EQUITI,

M.D. S.R.L. & E.S.

REI MEDICAE

AD

EXERCITUS BRITANNICOS

PRAEPOSITO,

&c. &c. &c.

HANC DISSERTATIONEM,

QUORUNDAM IN INDIA ORIENTALI ANNORUM

PROVENTUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

OFFERT

GULIELMUS M'DONELL.

GULIELMO ROBSON, M. D.

AD COPIAS BRITANNICAS

MEDICO,

HOC OPUSCULUM,

SUMMAE EXISTIMATIONIS,

PROPTER INSIGNES ANIMI DOTES

ET

MORUM COMITATEM,

LEVE UTCUNQUE PIGNUS,

POSUIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA

INDIAE ORIENTALIS

Compluria volumina tam copiosa et aestimabilia, nuper de Dysenteria regionum calidarum juris publici facta sunt, ut exiles istae et fugaces paginae nostrae, vix quidquam additurae appareant; morbus tamen adeo frequens in India adeoque lethalis hic est, ut nunquam non summam considerationem medicorum merebit. Inter homines qui diutissime Indiam incoluerunt, inter morborum accuratissimos scrutatores, nondum aut de causis Dysenteriae, formisve, curationeve, convenit. Talis discordia eo mirabilior

 appareat,

appareat, quod coelum, moresque aegrotantium fere ubique sibi similes sunt, ideoque causae et morbus ipse sibimet consimilis, nec aliter explanari potest, nisi ex vi quam theoria aut praejudicia super ingenia humana, utcunque perspicacia, vel subacta, exercent. Hic utique, si uspiam nihil, assumendum esse, nisi quod natura factis confirmet, luculentur docemur.

Consilium erat in paginis sequentibus brevem et accuratam Dysenteriae historiam cum conclusionibus literis mandare, qualem apud Insulam Ceyloniam inter commorationem sexennem spectaverim; ubi, adjici potest, longe lateque grassantem et pessimam stragem edentem saepissime testatus sum.

MORBI HISTORIA.

Prima Dysenteriae signa in India, tam ordine successionis quam gradu diversissima sunt: atque, procul dubio, corporis constitutione, aetate, causarum intensione varie temperantur. Junioribus plerisque formam acutam plerumque in-

duit

duit; in colonis autem vetustioribus formam quoque vetustam saepius exhibet. Morbus plerumque incipit cum crebro alvi evacuandae desiderio,—dejectiones copiosiores sunt, tenues, atri coloris, muco commixtae. Dolor minime urget; atque cum causa excitans, haud raro liquorum ardentium abusu consistat, aeger nimis ei imprimis parum attendit, breve decessuram sperans. Hebetudinem universam experitur, sed hoc tempore raro ullum est caloris cutis, pulsusque frequentiae augmentum notabile. Si spatio brevi neglecta, infeliciterve curata fuerint,—Monita ad dejiciendum frequentiora fiunt, et molestiora, evacuationes copia decrescunt, sed nunc plus minus sanguinis ostendunt,—Dolor abdominis molestus, assiduus, praesertim inter umbilicum et pubem,—Ventriculus multum et perpetuo perturbatur,—nausea adest, flatus expellitur, cibus fastiditur omnis,—sitis perpetua urgens,—cum functionibus circuitus sanguinis et respirationis perturbatis.

Si haec indicia molesta non confestim leventur, aeger malo succumbere incipit; evacuationes fiunt tenues, atque aquam qua caro recens lata fuisset, referentes; pus etiam subinde ostendentes: ab hoc tempore odorem foetidissimum exhalant,

et

et medico raro aegri post hoc servati felicitas obvenit. Progressus enim mortis nunc rapidus est; extrema frigent, sudoribus partialibus accedentibus. Lingua et os aridissima fiunt, crusta rubra vel atra contecta,—dejectiones inscio aut nolente aegro elabuntur, delirium mite, mussitans, ex intervallis variis supervenit, donec paulatim continuum factum fuerit, cum singultu et subsultu tendinum molestissimis, qui non decedunt donec miseri tormenta morte finita sint.

Breviter ita lineamenta Dysenteriae acutae communis Indiam Orientalem vexantis, adque eventum lethalem procedentem, potius intra septem vel octo dies festinantem, adumbrare conatus sum; nonnunquam vero celerior est, graviorque quam supra delineata.

Dysenteria chronica quam prior lentius obrepit: atque momentis saepe vix aut ne vix quidem percipiendis augescere saepe dicatur. Progressus saepe quidem mire prolixus, plurimas hebdomadas imo menses fere immutata perstans. In eadem porro, indicia minus regularia quam in acuta apparent, dejectionibus saepe speciem suam in morbi progressu permutantibus.

Conjunctio tamen, aut origo ex morbis hepatis manifestius

manifestius vestigari potest: Indicia quidem hepatis affecti saepe valde obscura sunt,—sed ad aliquod morbi tempus, observanti curioso monstrantur, aut augmento vel defectu secretionis—aut dolore sive hepatis, id quod bonus nuper scriptor bene verbis protulit.* Dysenteria plerumque signis febris stipatur; indicia autem febris typhodis in India mihi non occurrerunt: Pulsus saepius parum turbatur; atque neglectus hujus rei, cum debilitate, ut apparet tum praesente, haud semel, ni multum fallor, sanguinis missionem etiam cum maxime desideratam, inhibuit.

POST MORTEM SPECIES.

Quae cadavere patefacto apparent, multo magis constantia sunt, quam ex variis et dissimillimis signis

* In every case of Dysentery that has ever come within the range of my observation, (and the number has not been inconsiderable,) two functions were invariably disordered from the very onset, and soon drew other derangements in their train. These were the functions of the skin and of the liver, or perspiration and biliary secretion. I defy any one, who has minutely regarded this disease at the bed-side,

nis prius in eodem, et praesertim in diversis exemplis, formisque morbi occurrentibus, aliquis expectasset; atque pro violentia tantummodo morbi et duratione variare videntur. Cavo abdominis adaperto, nonnihil seri flavi viscera contegentis in conspectum venit; omentum et mesenterium plus minus vasculorum insolitorum demonstrant; in mesenterio quidem hoc fieri semper inveni, nec non glandes ejus augeri, nec nunquam ad immensam molem extumescere. Ut phaenomena morbosa maxime generalia, ea quae hepar praestat, proxime notentur, nunquam non morbosum me id invenisse affirmare nequeo: sed raro cadaver Dysentericum, praesertim post formam chronicam, quo non hepar partim vel universe exauctum, induratum, vel abscessu excavatum reperi: quinetiam in iis qui nullam fabricae manifestam laesionem demonstrabant, ACTIO morbosa in morbi decursu manifeste apparebat. Vesicula fellis plerumque bilem nigram inspissatam continet, saepe autem vacua est. In primis viis explorandis, raro ullam fabricam late morbosam, aut

to produce a single instance in which these functions were carried on in a natural manner at any period of the disease.—*Johnson on Influence of Tropical Climates*, p. 354.

aut in ventriculo, aut in intestinis minoribus inveni. Laxiora intestina tractum morbi continuam plerumque ostendunt, saepe per ulcerationem et gangraenam, in alias partes, in cavum abdominis, et aliquando in urinae vesicam penetrantes. Tunicae intestinorum crassiorum in massam adeo inseparabilem, ut saepe difficile dictu sit quantum penitus destructum fuerit: saepe autem notari potest, quod tota tunica interna amota fuerit: Structuram latissime destructam apud coli flexuram transversam plerumque inveni.

In Dysenteria chronica lienem saepius, ut etiam in intermittentibus protractis fieri solet, valde exauctum et induratum inveni, ad plurimas libras in nonnullis pendentem.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Quicquid vigorem, solitumque tenorem actionis corporis in regionibus calidis, praecipue ad Dysenteriam hominem dat proclivem. Organa et functiones hoc morbo implicati, omnibus temporibus

impressionem

impressionem aliquam insolitam corpori adhibitam magnopere sentiunt; sed cum hae functiones lente aut maligne peraguntur, irritatio quaevis adhibita perceleriter eadem in actionem morbosam rapit. Effectus tempestatis causa frequentissima existit. Magnus calor ob secretionem et excretionem, et praesertim actionem hepatis diu continuatam, quas producit, tempore debilitatis aut actionis diminutae tam functionum naturalium quam vitalium excipitur,* quo tempore morbus facile et a plerisque causarum excitantium, superinducitur.

Omnes causae quae debilitatem inferunt,—quales sunt diutina et gravis exercitatio, cibus nec idoneus nec nutriens, animus irritatus, demissus, hanc corporis mobilitatem inducunt, haud aliter quam diuturna in India commoratione—praesertim in aetate provecta, priores impetus ejusdem morbi, aut actio morbosa eorundem organorum, agere reperitur.

Causa

* Vide Johnson on Influence of Tropical Climates, p. 22.

CAUSAE EXCITANTES.

Omnes causae quae praesertim et subito, per quodvis interpositum, functiones secernentes aut excernentes primarum viarum, vel hepaticorum organorum perturbantes, sub hoc capite tradi possunt: Plerumque satis manifestae sunt; semper magis quam res praedisponentes; et, licet uno quovis exemplo obscuriores sint, saepe nobis revelantur accessione morbi eodem tempore plurimis morum similium, et in simili conditione sitis.

I. Pro causa valde frequenti, et fortasse maxime generali, magna vel subita transitio a calore ad frigus, sive haec mutatio per aëris vicissitudines, sive per alias vitae occupationes effecta fuerit; hujus causae operatio inter accessionem venti Indici monsooni humidi misere evincitur; licet Dysenteria omni tempore communis sit, tum vehementer increbrescit.

Effectus frigoris plerumque a toto corpore illi exposito proveniunt: aliquando tamen cum ex parte tantum adhibetur, ut extremis, aut incauta

 et

et libera potus frigidi indulgentia dum corpus adhuc vehementer calet.

II. Copia cibi quae a ventriculi debilitate alisve causis non rite digeritur, aut cibus acris haud raro Dysenteriam inducit.

III. Usus imprudens liquorum fortium inebriantium causa frequentissima est.

IV. Ex testimonio scriptorum optimorum; ex quotidiana duorum morborum observatione, procul dubio patet, quod miasma paludum Dysenteriam aeque ac febrem intermittentem generat; sed dum actio privata miasmatum in corpore adeo obscura sit, contenti restare debemus HOC, quod in locis annique tempestatibus regionum calidarum, quibus potestas miasmatum paludum intermittenti grassante manifestatur; iisdem quoque Dysenteria frequentissima est. An vero inter praedisponentes aut excitantes causas miasma numerari debeat, varie putetur, quo autem modo febrem inducere, eodem Dysenteriam inferre existimo.

V. Ad contagionem, ut Dysenteriae causam animadvertere necessarium sit, quando primum teneat locum in definitione clarissimi Culleni: Illud solum dicendum puto, mihi nunquam vel levissiman

levissimam causam fuisse, cur Dysenteriam a contagione ortum traxisse crederem, ut etiam suspicarer: nec porro mihi unquam occurrisse, cum medicis Indiae colloqui quorum experientia, diversam sententiam docuisset. An vero Dysenteria, cum typho conjuncta, ex aegro ad sanum simul communicetur, omnino nescio, supra enim scripsi, me nunquam sub hac forma vidisse.

MORBI THEORIA.

Ambiguum admodum apparet, an ulla explicatio tradi possit, quae morbum, ad unum organum laesum referendo, penitus explanabit. Ubi tot organa et functiones quot in abdomine apparent, connectuntur; ubi propria plurimorum actio quodammodo a sana singulorum munerum perfunctione pendeat; credendum est, ut causae quae unum multum turbant, communem et universam injuriam cito efficient; hoc utique fieri mihi persuadetur; mobilitas partis alicujus vim causae generalis primum agnoscat; deinde aliorum actionem morbidam gignat.

Si

Si morbi initium non semper eadem sede quaerendum sit, effectum causarum excitantium consideratio, paucis quae morbi progressu semper ostendunt indiciis attentio, corporis post mortem minuta inspectio, signorum constantiorum assidua recordatio ;—hae simul perpensae semper, ni fallor, ad veritatem prope perducent, rationemque qua morbus accedit perpetuam, et lineamenta ejus cursus praecipua indicabunt.

Nunc igitur, indicia quae semper Dysenteriae Indicae adesse reor, necnon signa post mortem aeque constantia, strictum persequar, breviterque effectus causarum rebus ipsis ordine applicare tentabo.

Primum igitur, exemplum Dysenteriae, quo hepar muneribus rite fungeretur nunquam mihi in India occurrit: hoc bilis aut superans aut deficiens esset, aliquando sine, sed haud minus saepe cum ipsius organi molestia—hic iterum ad verba viri acutissimi supra citati recurro.* Haec hepatis actio abnormis fere comitans in Dysenteria, quantum ipse scio, non hodie negatur, haud etiam quibus contenditur Dysenteriam hoc organo nullo modo connecti, aut pendere.

Sub

* Johnson on Influence of Tropical Climates, vide p. 374.

Sub cadaveris sectione memineris, me semper invenisse jecur, mesenteriam, aut lienem, nec raro omnes in Dysenteria implicatos reperisse: His igitur post mortem visis, cum perturbatione dum vita esset, perpetua comparatis, mihi persuasum est, Dysenteriam Indiae perpetuo a congestione et obstructione viscerum quorundam abdominis glandulosorum, plerumque hepatis, oboriri: nec *unquam* sine vitiata et abnormi illius organi conditione, saepius fabrica laesa, EXISTERE.

Creberrimus Dysenteriae occursus in viscerum obstructionibus post febres prolixas, non tantum hoc confirmat, sed nimis saepe Dysenteriam effectum talium non causam esse ostendit. A causa excitanti admota facile videre est, quomodo congestio et postea actio abnormis visceris alicujus obveniat, necnon quomodo tales actiones (vasorum mesenterii congestionem afficientes) semper hepatis actionem afficerent.* Nullius momenti hic discere esset necne jecur morbo affectum sit: necessarium tantum videtur ut Dysenteriam non occurrere, nisi hujus opere ostendatur. Quod motus sanguinis per hepar ab initio et perpetuo afficiatur, non dubitandum esse puto: atque mihi saltem

* Vide Johnson on Influence of Tropical Climates, p. 356.

saltem aeque certum apparet, hoc impedimentum actionem ejus irregularem aut morbum, pro vehementia, sua duratione, praeviaque sui conditione superinducere oportere. Vasa mesenterii turgida obstructa esse omnes notârunt, quamvis causa saepe praetervisa, morbus omnino topicus habetur. Num igitur ut morbus topicus curandus? haud credo;—contra, plethora amota, nonne semper inventum est eam curationem, quam hepati, visceribusque glandulosis accommodatam novimus, Dysenteriae utilissimam esse?

Eadem actionum series, quamvis varie exhibita, semper mihi et acutam et chronicam Dysenteriam producere apparuit; *vehementia* autem causae excitantis, *aetas*, et *constitutio* corporis aegri typo ejus dant figuram. In utrisque, signa morbosa in canali intestinorum solo existunt: ideoque discrimina eorum in visceribus glandulosis reperiuntur. Porro homo juvenis, fortis, nuper in Indiam advectus, ab eadem ipsissima causa Dysenteriam acutam patietur, dum vetustior incola, et qui semel morbum passus sit, forma chronica fere semper plectitur: Melius autem argumentum similitudinis duorum morborum hoc est,—quod eadem curatio utrique efficacissima sit, quodque, plenitudine

dine amota, probabilitas curationis per hydrargyrum in Dysenteria acuta longe major est, quam in Dysenteria chronica; neque id explanare difficile est, quoniam causa proxima in acuta, non ultra obstructionem et actionem vitiatam progreditur, dum in chronica magna stipatur viscerum destructione, praeterquam quod intestina a morbo priore passa fuerint.

Hanc ob causam, Dysenteria chronica, etiamsi in progressu tardior, in eventu incertior, multo magis timenda est; semper extensionem, nec raro praesentiam etiam mali, quod in hepate factum sit ignoramus—atque dum haec dubia experimur, nimis saepe accidit, quod corpus aegri vim medicamentorum diutius pati deneget, morboque succumbat;* ideoque optima remedia nostra conatusque

* Those who have had most experience in hot climates best know the melancholy fact, that, in every repetition of Dysentery, and after every successive year of our residence between the tropics, we find the remedy has greater and greater difficulty in conquering the disease. In process of time, as the intervals between the attacks become curtailed, we find it a very tedious process to bring the mouth affected with mercury: and, what is still worse, the check thus given to the complaint is only temporary, for, soon after the influence of the medicine wears off, our patient returns upon our

que maxime assiduos ad aegrum sospitandum frustrat.

Multum de causa Dysenteriae proxima identidem auctoribus scriptum est, singulis suo conspectu peculiari utentibus; atque vere optandum est, ut notio hujus rei certa fixaque daretur, mihi enim maxime utilitatis apparet, *tempus* enim saepe amissum si non injuriam saepe factam esse suspicor—propter medici attentionem ad *spasmum coli tollendum*, vel inflammationem tunicarum topicam mitigandam, perinde ac causam proximam, spasmum vel inflammationem harum partium reputet, nimis unice directam.

SIGNORUM RATIO.

Haec breviter per progressum acutae Dysenteriae communem, pertingere liceat.

Craebrae

hands as bad as ever. At length the system absolutely refuses all impregnation from mercury, and we have the mortification to see our patient waste away and die, for want of the only remedy that possibly could arrest the hand of death —change of climate.—*Johnson on Influence of Tropical Climates*, p. 389.

Crebrae nigridae dejectiones primo excretae, secretione bilis vehementer aucta et fortasse vitiata, manifeste excitentur; hoc tempore inflammatio intestinorum nondum obvenit; cito autem, non tantum pulsu, sed perpetuo muci descensu a superficie inflammata, indicata occurrit. Vomitus, qui initio Dysenteriae occurrit, saepe ab aspectu materiae ejectae, a bile in ventriculum refluente oriri demonstratur; sed febre accedente a partium consensu provocatur, et laesionem organi, nec raro destructionis factae magnitudinem commonstrat.

Progrediente morbo, sanguis ex osculis vasorum mesenterii diruptis effluit, exulceratio in variis fit partibus, tunicam intestinorum cito destruens vel auferens.

Tenesmus crebrique ad dejiciendum monitus, secretionum vitiatarum ingestorum descendentium, faciemque inflammatam et abrasam in actionem molestam abnormem cientium effectus esse videntur. Hoc saepe nulla ex alia excitatione quam motu suo proprio peristaltico fit, per spatiolum post materiam irritantem expulsam, aliqua miseriarum remissio est.

Difficultas meiendi saepissime graviorum inflammationis effectum in partes vicinas index est.

DIAGNOSIS.

Dysenteria plerumque facile a quovis alio morbo dignoscenda est. Initio quidem diarrhoeam simulare appareat, a qua tamen prompte distinguitur, per ingentem dejectionum diversitatem; necnon per febris in diarrhoea absentiam.

A cholera per vomitum et purgationem in eo morbo alternam—etiamque febris profluvii sanguinolenti, desideriique in sedem manere, absentia in cholera dijudicatur.

PROGNOSIS.

Prognosis in Dysenteria maxima cum cautione semper duci, et promulgari debet: praesertim in forma

forma chronica, quia fabrica partium saepe tam latenter tamque late corrumpitur ut aeger ultra auxilium medicinae progressus sit, dum indicia generalia nihil quod nos de salute ejus terreat ostendant. Junioribus quibusque habitus corporis bonus est, eventum felicem sperare licebit. Quum ventriculi molestia mitigata fuit, quum monitus ad alvum dejiciendam tam assidui et graves esse desinunt,—magis vero quum dejectiones biliosae secretionis reditum ostendant, tum aliorum signorum ingratorum remissionem eventumque faustum speramus: quam spem fere ratam esse credamus, cum saliva consueta redit, atque cum appetitu redeunte, cibus modicus nullam molestiam concitat. Vetulis, fracto corpore imbecillis, praesertim hepatica et Dysenterica mala prius perpessis, prognosis nostra semper aut infausta aut ambigua admodum existet. Ubi cum ingenti in stomacho molestia dejectiones non amplius mucosae—rubrae, aquosae, foetidae fiunt, periculum maximum est: atque quandocunque sponte discendere incipiunt, tum mortem accedere novimus.

In Dysenteria chronica prognosis saepe a signis hepatis morbosi praesentibus ducitur; sed in omnibus

nibus exemplis, et quacunque causa obortis, quum corpus vim hydrargyri renuit, gravissima terminatio metuenda est.

CURATIO.

Dysenteriae curationem aggredienti, optima mihi simulque brevissima ratio visa est, singula remedia separatim considerare,—cujusque effectus,—quo morbi tempore maxime postuletur aut credendum sit,—quando ab usu ejus ut inutili, vel noxio abstinendum sit, ordine tradere eodem quo plerumque se invicem sequuntur, aut in morbi progressu advocantur; ostendendum nihilominus erit, usum eorum minime certum tempus habere; ideoque talium applicationem omnino a certis indiciis praesentibus vel absentibus, pendere.

Purgantia, prima generalia medicamenta dicamus. Hoc genus medicamentorum utilissimum, ad curationem fere omnis Dysenteriae exempli penitus necessarium existimo; plerisque temporibus utilia sunt, sed praesertim in morbi accessu; quo tempore intestina haud inflammantur, sed

bile

bile variisque materiis secretionibusque vitiatis onusta: haec purgantia amoliuntur, atque ne vasorum plenitudo et congestio fiat, impediunt. Secundo morbi tempore, quum mucus et sanguis excernuntur, purgantia non semper desiderantur, sed tunc etiam, tenesmus purganti leni exhibito, saepe et multum levantur: oleo recini vel salibus nutris plerumque utor, quae leniter irritantia deferunt, actionemque sanam hepatis et intestinorum restituere tendunt. In Dysenteria chronica haec medicamenta felicissimo effectu adhibui; quando dejectiones intestina exulcerata esse designant, purgantia laedere possent, quapropter tum faeces removendae sunt, irritatioque sedanda per enemata emollientia et opiata.

Sanguinis missio generalis.—In Dysenteria acuta hanc auxilium potentissimum ad morbum tollendum, vel sub actionem aliorum remediorum redigendum puto: Juniores et robusti hanc morbi formam praecipue patiuntur, et sanguinis missionem optime ferunt; propria experientia nihilominus applicationem ejus felicem a tempore morbi, quo usurpatur multum pendere docet. Venaesectio utilissima est, etiam antequam postulari apparet; verbi gratia, in juvene valido, primo

 morbi

morbi stadio laborante, cum dejectionibus crebris, atris, pulsu nondum multum turbato, nec tubo intestinorum inflammato,—purgatione leni praemissa, si venaesectio ad ℥ xx adhibeatur, felicissimo effectu excipitur; inflammationis accessus omnino praecavetur, obstructionibus amotis; aut si hoc non fiat, vis ejus utique minuitur, atque corpus aliis remediis parentius evadit. Post inflammationem superventam, dejectionesque mucosas sanguineas, adhuc sanguinem mittere multum prodest, quamvis nec adeo constanter, nec in tantum, ac si citius adhibita fuisset. Ab effectu judicandum est, necnon a viribus aegri, corporisque habitu, quousque sanguis mitti potest, debetque. Sanguinem nimis parce, nunquam vero nimis libere detractum me poenituit: Haec autem potentissima in Dysenteria chronica fere admitti nequit.

Hydrargyrum.—In Dysenteria, et acuta et chronica, hoc remedium constantissimum et solidum auxilium praestat, atque fiducia medicorum plenissima dignum est; ut remedium supra dictum, quo citius exhibitum, eo efficacius operatur: raro tam bene cedit, ut morbum in ipso initio accipiamus, sed nihilominus nullum tempus terendum

dum est, post laxans medicamentum; atque si opus sit venaesectione exhibita, confestim ad hydrargyrum confugiendum erit. Submuriatis formula fere usus sum, gr. xxiv vel xxx, in diei noctisque spatio, donec os afficeretur exhibens, duo grana secunda quaque hora cum duplice fere ipecacuanhae (modo ventriculus tantum ferre potuit) in pilulam facta exhibui: haec non hydrargyri actionem impedit, ideoque auxilium potentissimum pretiosissimumque reputo. Si plethora prius redacta fuerit, purgantia caute adhibita, osque rapide affectum, indicia plerumque remittunt, atque cura idonea ad convalescendum et sanitatem cito restituit. Qui usui hydrargyri perpetuo, vel ut dicunt *parum discrimineto* repugnant, fortasse nec operationem ejus cauti observârunt, nec effectum considerârunt. De hoc quidem confirmant, eum nullo modo proprie in intestina exerceri, nec tunicarum earundem inflammationem deminuere. Verissimum est hydrargyrum non inflammationem per actionem primariam vel specificam in partes ipsas inflammatas tollere, sed causam talem inflammationem continentem, congestionem, scilicet et obstructionem hepatis, aliarumve abdominis glandium tollendo, ideoque equalem sanguinis in

his

his partibus et naturalem circulum restituendo. Atque, ni fallor, ii qui non hoc quasi ob oculos conservant, sed curatione topica penitus insistunt, saepissime non feliciores evadent, quam si manus inflammationem cubiti injuria concitatam curatione topica aggrederentur, dum causa offendens agere permitterent. In Dysenteria chronica effectus hydrargyri boni citissime semet manifestant; atque nimis saepe post aliquam usus ejus intermissionem, aeger medicum iterum consulere cogitur; iterum hydrargyrum sumit, iterumque reficitur, atque ita procedit modo *convalescens* modo *aegrotans*, donec tandem ingens organicum vitium accedat, vel corpus fractum lassumque non amplius remedio suo quondam invicto moveri possit, atque misero aut ad regionem frigidiorem migrandum aut malis brevi succumbendum erit.

Quando ex ventriculi mobilitate medicamentis per os sumptis non fidendum est, hydrargyrum simul infricari debet.

Ipecacuanha.—Hujus medicamenti beneficium maximum in Dysenteria acuta inveni. Nonnullis quidem exemplis morbus ab ea, pauculis laxantibus adjectis, prorsus fugatus est. Quum rationem exhibendi submuriatis hydrargyri docebam, in pilulis

lulis quatuor grana ipecacuanhae habentibus, me exhibuisse scripsi; his tertiam grani partem ex opio addere necessarium inveni, ad effectum emeticum cohibendum:—Haec conjunctio hydrargyri et ipecacuanhae effectus potentiores quam simplex administratio praestat; utraque ad eundem finem tendunt, atque loco impediendi vel mutandi actionem sui invicem, alternatim adjuvare videntur.

Ipecacuanha, in dosibus citra vomitum aut etiam nauseam exhibita, totum corpus relaxat (praeter effectus peculiares jam dicendos); impeditamenta actioni hydrargyri aufert, dum contra felicissimam ipecacuanhae operationem promovet. Quum morbus praevertitur in tempore magis provecto, ventriculus haud ita facile ipecacuanham fert; tum grana v, cum tincturae opii guttis xv vel xx, iisdem temporibus, quod melius stomacho restat. Dum hoc remedio utuntur, aegri quietissimi manere debent. Ipecacuanha numerum dejectionum non minuit; contra augere videtur, etiamsi non ad tempora adeo incerta aut abnormia descendant; non amplius aquosae sunt, atque cum dolore multo minore excernuntur; hujus usu aeger quietus jacet, nec nisi cum consurgit queri audi-

 tur.

tur. Post dosim quamque mediocri intermissione doloris aut tenesmi fruitur; sed quum surrexerit, duas tresve rapida successione dejectiones habet. Usus demum hujus medicaminis, dolorem, tenesmum, sedes sanguineas deminuit, somnum, quietemque conciliat; sed effectus ejus ad cutem determinandi, licet non perpetuus, frequentissimus est. Ab omnibus his effectibus remedium fit omnium optimum in Dysenteria, atque in nullo exemplo acuto inter adjuvantia ommitti debet.

Opium.—Hujus medicamenti actionem alii laudant, alii vetuperant, et utraque opinio secundum tempus ejus aut exhibitionem jure defendi potest; attamen si prudenter adhibitum, remedium, praesertim in chronica Dysenteria, inaestimabile est: In forma acuta quoad humores cutem versus determinat, utile est, aut cum iis medicamentis quae vim ejus narcoticam nec tamen anodynam eripiunt conjunctum, aut demum per anum injectum. In Dysenteria chronica perpetuo ad opium plus minus confugere oportet. Ab eo enim somnum conciliamus, dolorisque cessationem, multumque administrationem aliorum remediorum efficacem promovet; sed fortasse prae omnibus virtus ejus, in enemate exhibiti conspicua est;

saepe

saepe quando depletio libera facta est, humoresque ad cutem directi, aeger multum ob actione intestinorum exulceratorum in se invicem vexatur; atque hic opium dolori finem imponit, et per se plerumque ad statum convalescentem, si non ad sanitatem, reducit.

Pauca jam alia topica remedia dicenda restant. Imprimis, Enemata maximi beneficii reperientur, praesertim ubi morbus per aliquod tempus extiterit, atque aeger dejectus est, tenesmoque, doloreque vexatus; cum in tali statu, enemata communia ex congee, (aqua oryzae) opioque, ingens praestant solamen: atque saepe aeger, qui antea, ad perpetua sed vana dejiciendi conamina irritatus fuit, enema retinet, ac quiete horas nonnullas gaudet: Quum tantum proficere reperiuntur, actio eorum constans sustinenda est. Enemata non tantum ad dolorem movendum laudantur, sed saepe haemorrhagiam cohibent, vel omnino supprimunt: Quando hoc consilio exhibentur, sulphatis zinci adjectis, optime respondebit.

Fomenta.—Calor abdomini ope panni lanei ex aqua cilida expressi adhibitus, non minus laudibus quas aeger tribuere solet, quam curantis dignus est; doloris enim molestiaeque remissionem

procurat, urinaeque excretionem saepe adeo difficilem et molestam promovet. Prudenter adhibitus, diuque continuatus, omnia commoda, ni fallor, quae balneo calido tribuuntur, et sine hujus incommodis praestat; dolorem topicum aufert, adque summam cutem plerumque dirigit. In praxi publica multa usum balnei calidi impediunt; alter vero (fomenta scil.) semper obtineri, effectusque ejus sustineri et continuari potest. Dubito an balneum unquam in Dysenteria desideratur, nisi cum plenum fortasse effectum ejus in morbi initio procurare volumus. Aliae caloris formulae, veluti pediluvium, sedes super vaporem aquae, et caetera, subinde utiliter adhibeantur.

Vesicatoria.—Haec multum in Dysenteria acuta et chronica regione hepatis abdominisque adhibita, atque saepe ut dolorem fixum mitigarent, vidi. Nihilominus, cum dolor partis alicujus nullum sit certum magnitudinis injuriae signum, atque cum vesicatoria saepissime quietem perturbant, miseriasque aegroti exaugeant, confiteor me non multum ab eorum usu sperare, nec unquam exemplis, vel corporibus valde irritabilibus usurpare. In eorum loco aquam calidam antefero, ut supra dixi, sanguinis missione topica praemissa.

Quoniam

Quoniam varia utiliora in Dysenteria curanda medicamenta jam perpendimus, paucula nunc de potu, victu, et vestimento proferenda sunt. Haec optima nostra consideratione et attentione digna sunt, quoniam aegris vel perperam vel negligenter adhibita, curationem prudentissimam futilem et nugacem omnino reddunt.

Potui agrotantium semper animadvertendum erit, atque non tantum hoc modo injuriam praecavemus, sed aegrum sustinemus, effectumque remediorum promovemus. Nisi vetemus, vel a manu removeamus, Dysentericus certissime usu aquae frigidae indulgebit, quae nocentissima erit. Oryzae et hordei aqua calida conservatae optimum praestat potum, et fortasse solum nutrimentum quod aeger eo tempore assumere possit. Quoniam vero aegrotantis animus varius et mutabilis sit, haec ex arbitrio ejus mutanda sunt pro seminis lini decocto, aqua ex pane tosto, thea et similibus. Illa quam liberrime sumere velit propinanda sunt, nulla enim injuria, multum vero boni, a tali licentia profluat. Illorum fluidorum usus copiosus ad cutem determinat, acria in primis viis diluit; atque natura mucilaginosa priorum tunicas intestinorum contra acria ejusmodi defendit.

defendit. Quando aeger convalescit, modicus vini usus idoneus sit; sed liquores fermentati per aliquod tempus vitandi sunt. Raro in Dysenteria acuta desiderium cibi ab aegro exprimitur; quod si fiat aut necessarium credamus, sago nonnihil, aut marantae arundinaceae radix, panis, vel oryza cocta dari possunt.

In Dysenteria chronica haec quoque praecipua cibi genera sunt, etiamsi subinde necesse sit vini pauxillum adjicere: necnon theae bovinae, ovi mollioris usum concedere. Aegro convalescente, ura maxima habenda est, ut diaeta propria et modica solummodo usurpetur.

Quoniam cutis functiones adeo necessariae sanitati sunt, aeger pannum laneum ad cutem gerere debet: atque etiam per spatium aliquod post refectionem eum retinere suadendi sunt. Convalescenti exercitatio lenis, atque navigatio haud longa quam maxime proderit. In prima prosequenda, calorem, frigusque, devitet, nimiam virium exertionem, aut fatigationem caveat: de hoc enim nimis cautus esse nequit. Plerique convalescentium ex Dysenteria chronica plus minus fabricae viscerum laesae habent; quousque ignoramus—sed facile in actionem morbosam iterum

rum recidit. Nullo in morbo quies magis requiretur quam per totam Dysenteriam, atque praecepta quod ad hanc lente admodum et caute subducenda sunt.

CONCLUSIO.

POSTREMO adnotarem, rem in paginis supra scriptis condensatam, ampliore egere consideratione quam illarum limites admittere possint. Consilium igitur fuisse profiteor, ut perspicue et accurate lineamenta morbi et cursus ejus prominentia, cum remediis promptissimis et efficacissimis ad eum removendum notarem: utque inutilia omnia et ambigua, in his pro viribus evitarem, votis propriis me parum satisfecisse fateor: quamvis nunc spei nonnihil de accuratione conaminis nostri proferam, utpote quod ex propria sedulaque observatione deductum fuerit; necnon ut diligens ejusdem perlectio laudes ejus tutae et felicis curationis praescriptae non imminuet.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 12,	*lin.* 12,	*pro*	strictum *lege* strictim.
14,	... 17,	...	canali intestinorum solo *lege* eadem intestinorum parte.
16,	... 7,	...	maxime *lege* maxima.
18,	... 2,	...	effectum *lege* effectuum.
19,	... 21,	...	discendere *lege* descendere.
21,	... 7,	...	recini *lege* ricini.
21,	... 8,	...	nutris *lege* neutris.
23,	... 15,	...	*discrimineto* lege *discriminato.*
23,	... 25,	...	equalem *lege* aequalem.
25,	... 12,	...	impeditamenta *lege* impedimenta.
26,	... 5,	...	deminuit *lege* diminuit.
26,	... 12,	...	vetuperant *lege* vituperant.
31,	... 1,	...	requiretur *lege* requiritur.